

## CAPUT VI.

De

## Therapeuticis.

Riusquam ad ipsum curationis negotium vel doctrinam nos accingamus, præmittemus iis nonnulla autorum iudicia difficilem obesitatis curationem pronuntiantia, vel planè de eadem desperantia. Qvòd ergò cautè tractanda vel instituenda sit obesorum curatio, svadent nonnullorum autorum relationes, quæ loco convalescentiæ mortem iis allatam esse adstruunt; de qvo *Mercurialis l. c. p. 34.* Duo alia exempla de mulieribus, quarum una desiccatis imprudenter usurpati sibi obstructiones viscerum, vasorum & mensium, mortemqve ipsam; altera verò immodicò usu cicerum torrefactorum cum sale non meliorem priori successum sibi contraxerit; exempla talia, inquit, consignata prostant apud *Rod: à Castro de morib: mulier: part: 2. l: 3. c. 3. p. 234.* Præterea quòd in hoc affectu neque brevis neque facilis sit curatio, unde non insauistò omne suscipienda eadem sit, monet *Joh: Jessenius in Instit: chirurg: cap. 22. p. 94.* Porrò desperat ferè de curatione omni *Paul: Zachias in questionibus Med: Legal: tom: 1. l. 3. tit. 1. quest. 6. pag. 234.* Sic enim ille: difficillimum est, & fortasse impossibile arti Medicæ hoc vitium emendare: licet namqve quæ amplurima proponantur medicamenta, quæ obæsa corpora & extenuare possunt, & superexcedentem pinguedinem minuere, ea tamen operatio periculi plena est, & vix unquam optatò fine in ea exequenda Medici potiuntur, ut latius demonstravi *lib: 2. de quiete servanda in curandis morbis.* Verùm historiæ Medicæ non planè impossibilem vel dubiam esse obesitatis curationem nobis persuadent, licet eadem cautam ac prudentem Medici opem reqvirat.

Hisce itaque prælibatis opus est, ut in summo obesitatis statu haud cunctanter eum solvere annitamur; veluti rationem vel impulsu[m] hujus moniti etiam inculcat *I. Aph: 3.* Et

I

iam si